

/ Admodum Reverende Domine. Accepi litteras, et librum gallicum, quem ad me misisti, et has, et illum continuo perlegi, rebus omnibus intermissis. Et sane quemadmodum valde me contristaverat concio illa tua, ita laetificavit gallicus liber: sed facile mihi persuadeo, priorem illam invectivam in Iesuitas non ex candido animo abbatis, sed ex suggestionem politicorum profectam fuisse. Scit prudentia tua, Iesuitas ab omnibus haereticis odio haberi, praeter ceteros catholicos; et gloriosae memoriae Henricum Quartum regem, ex hac potissimum causa vere catholicum habitum esse post conversionem, quia Iesuitis favebat; neque enim verisimile videbatur hominibus prudentibus, eum tanta benevolentia Iesuitas prosequi potuisse, nisi sincero animo catholicam fidem amplexus fuisset. Spero R.P.V. hoc facto in gratiam Pontificis facile rediturum, et iam forte rediisse: quod certo sciam, cum Sanctitas sua ex villa Tusculana redierit; et ego non deero officio meo in rebus iis, quae ad personam meam pertinent apud eundem Pontificem promovendis. Vale.

Romae die 9 octobris 1610.